

www.e-rara.ch

Epitome astronomiae copernicanae usitata forma quaestionum & responsionum conscripta, inque VII. libros digesta...

Kepler, Johannes

Lentijs ad Danubium [Linz], 1618-1622

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 4159

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3122>

Admodum reverendis; illustribus, generosis; nobilissimis, strenuis; nobilibus, prudentibus &c: dominis, archiducatus Austriae supra Onasum ordinibus &c. dominis meis gratiosissimis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ADMODVM RE-
VERENDIS; ILLVSTRI-
BUS, GENEROSIS; NOBILISSI-
MIS, STRENUIS; NOBILIBUS, PRUDENTI-
bus &c: Dominis, Archiducatus Austriae
supra Onasum Ordinibus &c. Dominis meis
Gratiosissimis.

QUOD jamdudum post edita mea de moti-
bus stellæ MARTIS commentaria, sua-
dentibus amicis, Astronomia peritis, factitare
cœpi, ut novam illam Astronomia sub RUDOL-
PHO Cesare restauratæ formam compendio cõ-
plecterer, & minoribus quasi subselliis accommo-
darem: ut quia non sælicius discitur hæc scien-
tia, quàm si qui fructũ eius adulti percipere cu-
piunt, in eâ sementem pueri faciant; simul illi &
facilitate comprehensionis, & pretij diminutio-
ne, copiâque iustâ exemplarium iuvarentur: id
tunc vel maximè perficiendũ mihi censui, post-
quàm concessione S^a. C^a. M^{is}. & liberalitate
vestrâ, PROCERES, Lincium translatus, scres
mihi patefactum iri speravi, Nobilissimam ve-
stram juventutem cre-tenus in hac scientiâ in-
stituendi. Quanquàm ne hoc quidem transi-
tu meo, moræ studiorum meorũ publicandorum
omnes suere sublata. Cum enim laboriosæ non

minus quam sumptuose sint editiones huiusce-
 modi: ex unâ parte solitudo, ex alterâ tenuis res
 mea, difficilissima mihi fecerunt principia; pepi-
 giq; necessitate compulsus cum bibliopola Augu-
 stano, ut exemplum Epitomes huius ederet suis
 sumptibus, quod & se facturum recepit, & Epi-
 tomen hanc nundinarum Francosurtenfium ca-
 talogo ante duos amplius annos inseruit. Com-
 modum autem supervenit nobis Typographus,
 quo presente retentâ mihi correctione typi &
 multiplici relectione, speravi me perfectiora &
 emendatiora omnia exhibiturum. At qui contra
 Bibliopola meus gravari, quod Lincij sumptus
 essent faciendi & maiores & importuno loco: ne-
 que tamen mihi remittere pactionem, neque ju-
 ri suo de libello excudendo renuntiare: factum-
 que cunctationibus variis, ut hæc solius Doctri-
 næ Sphæricæ editio nec inciperetur ante sesqui-
 annum a pactione nostrâ, & incepta ultra an-
 num alterum traheretur: adeoque nisi partem
 sumptuum ipse suppeditassem, operâsque quàm
 potui commodissimas (etsi meliores optavi) con-
 duxissem, imperfecta etiamnum extaret editio.

Non debet autem inutilis vel otiosa videri re-
 petitio ista Doctrinæ Sphæricæ: quasi post vete-
 rum, Euclidis, Arati, Cleomedis, Gemini, Procli,
 Theonis

DEDICATORIA.

Theonis, conceptiones, aut post recentiorum, Sacrobosci nimirum, & infinitorum eius commentatorum, inter quos doctissimi & copiosissimi Christophori Clavij, Hartmanni etiam, & Virdunigi, Wurstisij, & Peuceri, Schrechenfuxij, & Piccolthominei, Brucai, Winshemij, Mastlini, & novissimi omnium Metij repetitiones; post Peurbachij, Reinholdi, & Simi Theoricarum; causa nulla restet, cur hac doctrina compendiarie denuò tradatur. Nam primò etsi nihil accessisset novi ad doctrinam Veterum, tamen illam ipsam expedit à variis authoribus tradi, cum sint ingenia discipulorum varia, nec eidem omnes in magistro apti discipuli, nec idem omnibus discipulis stilus, nec eadem methodus commoda: nec ullus scriptor adeò deviat à communi more, qui non inveniatur suum lectorem, ipsidem secum rebus, eodem stilo gaudentem. Quo ego consilio non tantum tritas & necessarias definitiones, sed etiam speculationes quasdam altiores, ut methodus suadebat, commiscui: utrumque verò genus formam questionum & responsionum exhibui: ut nequibus incipientibus deesset, quod captus illorum fert, neque adulti & maturi iudicio tedium tritarum & vulgarium definitionum nullà recreatione temperare possent; & ut speculationum difficultas

EPISTOLA

t. 15, Interlocutionū opportunitate discuteretur. Deinde hoc etiam iudicaturos puto artifices, methodum quam sum secutus, passim factam esse commodiorem; quin etiam omissa nonnulla parerga minus necessaria, vicissimque additā quæ ceteri nondum tradiderant: præcepta etiam calculationum Astronomicarum ex novissimis Tichonis Brabe, Witichij, Birgij, & Pitisci abbreviationibus, per exempla singula sic proposui, ut ad praxin penè nihil aliud desit, quàm circumspecta & fida imitatio typi mutatis numeris.

Sed plures & urgentiores mihi causas refingendæ doctrinæ sphericæ suppeditavit philosophiæ genus quod sector, quod unico Terræ motu diurno temperato, plurimos alios motus, genuinis & propriis Planetarum motibus in eodē subiecto contrarios, eosque ineffabilis & insana celeritatis, è mundo tollit, unico ejusdem Terræ motu annuo, omnes veterum Epicyclos, cæcâ ratione ad Solis motum alligatos, omnes præterea illorum Eccentros Eccentrorum, omnes Inclinationum, Deviationum, Reflexionumq; circulos dejicit; ut in doctrinâ Theoricâ dicam amplius. Indè que adeò evenit, ut quāto absurdius primâ fronte, quantoq; creditu difficilius existit hoc de
 Terræ

DEDICATORIA.

Terræ motu axioma, tãto facilius comprehensibile tractatũque fiat universa Astronomia, primũ atque quis Terræ motum admisit.

Tantæ igitur præstantiæ Hypothesis, digna omnino est, Astronomorum omnium hodiernorum præiudicio, quæ & percolatur, & omnibus suis membris fiat perceptu facilius. Habeat illa n quisque qui vult loco: ego certè hoc illi officij me debere intelligo, ut quã intus in animo pro verâ comprobavi, cuiusque pulchritudinem intuens incredibili voluptate perfruor: eãdem etiam foras ad lectores omnibus ingenij viribus defendam. Cũ autẽ sint qui metuant, ne doctrina spherica, per suppositionem motus Terræ diurni, vel tradi non possit, vel omnino conuellatur, eo quòd non spheram, sed Terram moveri asseramus; quorsum igitur opus esse spherã, aut quem ejus usum? cùmque multa præterea objici possint in speciem, quorum non extant passim ordinaria solutiones: illa omnia hãc Epitome (quod antehac factum est nunquam) expedita dare, ad me pertinere censeo.

Si quis hinc me novationis cupidum arguere voluerit; id equidem in philosophiã crimen sciat nullum esse; tota quippe philosophia novatio est

EPISTOLA

in vetustâ ignorantia. Solum id interest, glorie
 an veritatis studio quid innoves. Atqui si glori-
 am quærerem, fortasse mihi non defuerit ingeni-
 um comminiscendi singulare quippiam: cum in
 hoc philosophia genere pleraque quæ sequor, sint
 aliorum; non serviliter quidem descripta, sed ju-
 dicio concinnata ex diversis, ut quisque verita-
 tem in parte tueri visus est. Enim verò mihi cum
 multis sentire volupe est, quoties non errat mul-
 titudo; eoq; id operam do, ut quod in re inest, quã-
 plurimis persuadeam, eaq; ratione cum magnâ
 multitudine sentiens, jucunditate persruar ma-
 jore. Interim quod solet bonus Princeps, ante o-
 mnia pacem optare, sin autem eâ potiri nequit,
 Victoriã; idem & me recreat inter molestias à
 dissentiente vulgo profectas; quod plerumq; post
 diurtuna vulgariũ opinionum nubila tandem
 sudum veritatis jubar enititur; meãque, quoties
 à veritatis partibus pugno, tandem est victoria:
 quæ victoria non esset, si non pugnatũ esset diu
 admodum, cum magno sudore & periculo. Per-
 movit eadem veritas vicitque antesignanum
 illum Astronomiæ pristinæ professorem, quem è
 mediã nostrã Germaniã mutuata est Roma,
 Christophorum Claviũ, ut jam morti vicinus,
 cum

DEDICATIO.

cum astra, quæ Galileus detexit, errantia circa
Jovem, cum Venerem in cornua tabescentem, a-
liæque nova cerneret, juberet jam tandem vide-
re Astronomos, quo pacto constituendi
sint orbes cœlestes, ut hæc phænomena fal-
vari possint, actum ianuens de veteribus Hypo-
thesibus.

Denique cum S.^a C.^a M.^{ris} Vestra^q,
PROCERES, liberalitate, constitutum me veluti
sacerdotem Dei Conditoris ex parte libri Natu-
ra intelligam: hunc igitur Hymnum sacrû Deo
Conditori (quo titulo & Galenus suos de usu par-
tium libros condecoravit) novo carminis genere,
sed ad vetustissimam & veluti primævam Sa-
mia philosophiæ lyrâ attemperato pepigi; et im-
que U.^{ris} R.^{dis} & Ill.^{bis} G.^{bis} optimis rationi-
bus inscriptum, & additione Tabellarum non-
nullarum primi motus, huic provincie peculia-
riter accommodatû, inter homines vulgo: quip-
pe hoc postulavit Liberabit as Vestra, & mea gra-
titudò; huc invitarunt me crebra per hanc pro-
vinciam devota Deo collegia, & præclarissimæ
indolis juventus vestra; quam opto totam admi-
ratione diuinorum operum implere, & amore
Dei authoris inflammare posse; huc vocarunt &
exempla authorum librorumque, dum jucundâ
cogi-

EPISTOLA DEDICATORIA.

cogitatione pensito, Peurbachium Theoricarum
 scriptorem, hujus provinciae civem fuisse; Wins-
 hemium sphaericarum questionum authorem,
 libellum suum Illustrib^o L. Baronib^o de Polheim
 & Wartembergâ dedicasse: GG. DD. Hohfelde-
 ros fratres, Peurbachij oppidi hodie Dominos,
 Tubingæ sub Mastlino Præceptore Sphaericâ præ-
 cipuè doctrinam publicis exercitiis excoluisse,
 me auditore, & ut verum dicam, occulto emu-
 latore. Et quid multis? vel hujus ipsius libelli
 partes non contemnendæ ad authores suos è ve-
 strâ, PROCERES, coronâ viros præcipuos, ob sup-
 peditata salubria consilia, per hanc dedicati-
 onem jure merito remittuntur. Accipite igitur,
 R^{di} Illes & Gⁱ PROCERES, munusculum
 hoc, quale à me proficisci consentaneum est, quã-
 tâ fieri potuit curâ elaboratum, serenis fronti-
 bus, & me meaque studia secundum Sam^{am} Cam
 Mem quod facitis dudum, porrò quoque protegi-
 te & defendite. Lincij. Jd. Augusti: Anno
 Occidentalium Christianorum, M. DC. XVII.

R. & Ill: DD. VV.

Devotus Mathematicus

Ioannes Keplerus.

Com-